



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 37. S. Fulgentii Obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI.
A. C. 533.

§. XXXVII.

S. Fulgentii Obitus.

vitac. 29.
n. 62.

Sanctus Fulgentius ferme uno anno ante obitum suum relicta secreto Ecclesia sua & Congregatione in Insulam Circinam in modica rupe, ubi aliud condiderat Monasterium, sitam, se recepit. Ibi inter juges lacrymas vitæ rigorem auxit, non secus, ac si primo fervore vitæ affecticæ rudimenta poneret. Postea urgente Charitate fraterna ad Monasterium suum reversus in gravem morbum incidit, atque per duorum ferme Mensium spatium inter acutissimos dolores continuo dicere auditus est: *Domine! modo da mihi patientiam, & deinde veniam!* Medicis persuadere conantibus ut balneo uteretur, nihil de solita austeritate remisit. Ut sensit, se morti esse proximum, congregatis omnibus Clericis & Monachis veniam sibi concedi petiit, sollicitus, ne nimio in Discipulos rigore usus fuisset. Quidquid pecuniæ supererat, Orphanis, Viduis, Peregrinis, quorum omnium nomina memoria tenebat, dari jussit; Clericorum etiam suorum non immemor fuit. Tandem prima Jan. anno 533. Pontificatus sui vigesimo quinto, ætatis sexagesimo quinto e vivis abiit. Sepultus est in aliqua Ecclesia Civitatis Ruspensis, in qua Reliquias Apostolorum depo-

deposuerat, & ubi secundum antiquam Sæculum VI.
 consuetudinem nullum antea cadaver A. C. 533.
 humatum fuerat. Ipsa obitus die Eccle- Mart. Rom.
 sia S. Fulgentii memoriam colit. Vita I. Jan.
 ipsius Feliciano Successori ejus inscripta,
 Ferrandi Diaconi S. Fulgentii Discipuli
 opus esse creditur.

§. XXXVIII.

Dionysius Exiguus.

Conjiciendi causa non deest, eidem Fe-
 liciano Dionysium Exiguum inscri-
 psisse Versionem Epistolæ Procli ad Ar-
 menos, quam ipso præcipiente transtu-
 lit, ut veram esse probaret Propositio-
 nem illam: *Unus de Trinitate passus est.*
 Præmisit Præfationem, in qua succincte Bibl. PP.
 ejusdem Propositionis Veritatem, & uti- to. 3. p. 166.
 litatem adversus Nestorianos demonstrat.
 Dionysius cognomento Exiguus, quod
 corpore parvus esset, Monachus Ecclesiæ
 Romanæ Presbyter Doctrina & Virtute
 clarissimus, quamvis esset de Gente Scy-
 tharum, Romanos tamen mores præfe-
 rebat. Linguarum Græcæ & Latinæ
 ea erat ipsi scientia, ut, cum legeret, æ-
 quali facilitate Græca Latine, & Latina
 Græce, redderet. Hinc multos ex Græ-
 co Libros vertit, atque præter alios ro-
 gatus a Stephano Episcopo Salonensi
 transtulit Codicem Canonum Ecclesia-
 sticorum, quorum equidem vetus Versio

Hist. Eccles. Tom. VII.

Kk

sed